



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XLI. De Regulis Juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

subiecta materia non patiatuꝛ generalem intelle-
ctum : si absurdum iniquum, præiudiciuꝛ tertii se-
queretur ex illimitata acceptione : pariter gene-
ralis locutio extendi non debet ad gravioꝛa expres-
sis. *c. 15. de Rescr.* Nec ad ea, quæ speciali nota
sunt digna. *c. 81. de R. J. in 6.* Nec ad illa, quæ
de Jure vel Consuetudine postulant expressam
mentionem. *c. 4. 5. de Procurat in 6.* Neque tunc
generalis locutio includit omnia specialia, quan-
do certa quædam exprimit in specie, nisi exprimat
per modum exempli.

5 Dico 4. Verba specialia plùs operantur, quàm
generalia, h. e. species derogat generi non genus
speciei. *l. 15. §. 26. cit. l. 41. ff. de pæn. l. 80. ff.
de R. J.* Et verba geminata plùs, quàm simplicia.
per *l. 32. ff. ad S. C. Trebell.* quia geminatio indi-
cat magis seriam, & enixam, omniq̃ue metu libe-
ram voluntatem.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Ingressus. Regula Juris quid & quotu-
plex.*
4. *Quam vim habeant Regula Juris authentica.*
5. *Patiuntur suas exceptiones.*
6. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7. 8. *Quot sint Regula Juris, & quam Juris
Canonici.*

1 **S**ciendum 1. Ut cursum meum, secundùm le-
ges Justitiæ in V. Decretalium libris com-
prehensas hucusque institutum, ad DEI
glo.

gloriam principaliter, tum verò ad meorum Discipulorum utilitatem, syncerissimè ordinatum, non extra rhombum saltando, sed *secundum regulam* currendo finiam, breviter adhuc aliquid dicendum superesse *de Regulis Juris*, de quibus fusior explicatio in Scholis dari non consuevit, nec ordinariè in Libris; quamvis non desint, qui vel peculiare tractatus de iis ediderint, uti Dynus & Petrus Peckius, vel suis libris annexerint, ut Henricus Canisius, Barbosa, P. Streinius, & novissimè P. Wiestner, qui proin ulitissimè inspiciuntur.

Sc. 2. Regulas Juris nihil esse aliud, quam breves sententias, axiomata, & propositiones generales, ex Legibus vel SS. Canonibus deductas, quæ serviunt velut generalia quædam principia ad causas ritè decidendas, generalibus proposita verbis & brevi sententia; nam *regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. l. 1. ff. b. t.* Hæ quidem regulæ non constituunt novum Jus, sed jam constitutum supponunt, utpote deductæ ex Legibus & Canonibus jam præcedentibus; nam ex Regula non fit Jus, sed ex Jure Regula. *l. 1. cit.* Quæ etiam causa fuit, ut tam Juris Canonici Compiler in fine Decretalium, quàm Imperator in fine Pandectarum, ex professo posuerint Regulas Juris, tanquam sumam & compendium Juris, jam antè constituti; licèt hinc indè in prioribus titulis jam aliquas insperferint. Unde sine Juris notitiâ non satis perfectè penetratur sensus, vis, & veritas Regularum.

S. 3. Regulas Juris dividi in Authenticas, & merè Doctrinales: Authenticæ sunt, quæ auctoritate Legislatoris, Sacri vel Politici, in Corpore

Juris, Canonici vel Civilis, præfertim in hac Rubrica sedem obtinuerunt: *Doctrinales*, quæ etiam vocantur *Brocardica*, sunt axiomata Juris-Consultorum vel aliorum Doctorum, à nullo Legislatore in vim Legum authentizata, nec in Corpore Juris posita, sed ab iisdem DD. deprompta vel ex Juris textibus, vel ex Philosophorum dictis, uti sunt: *Spoliatus est ante omnia restituendus: Sine litis contestatione non valet processus: Privatio supponit habitum.* Quæ, licet contemnenda non sint, non tamen nisi cautè & circumspectè alleganda; cum innumeras patiantur exceptiones, nec authoritatem habeant & vim probandi, nisi in quantum suffulciuntur Legum Canonumve auxiliò, vel Curiarum usu recepta & approbata sunt.

4 Dico 1. Qui Regulam Authenticam habet pro se, non tantùm habet intentionem fundatam in Jure, ut liberetur ab onere probandi. *arg. c. 2. de Restit. Spol. in 6.* sed etiam jus certum, ita ut pro ipso pronuntiandum sit, nisi Adversarius doceat, illud, de quo est quæstio, non comprehendi sub Regula, sed ab ea exceptum esse. *l. 5. ff. de Probat.* Imò sententia contra Juris Regulam lata non minus est nulla, ac illa, quæ fertur contra Legem vel Canonem, ut docent cum Peckio,

5 Dico 2. Regulæ Juris patiuntur suas exceptiones, & subinde multas. Patet tum ex trito brocardico, *nulla regula sine exceptione*, quod & ipsum non procedit universaliter, sed patitur exceptionem in hac regula, *liber homo non usucipitur*, prodita §. 1. *Inst. de Usucap.* tum ex Auctoribus. Oppones: juxta dicta priori Titulo verba generalia sunt generaliter accipienda, ita ut verif-

ficen-

ficentur de omnibus sub sua generalitate comprehensis; sed Regulæ Juris sunt sententiæ generales: ergo generaliter de omnibus contentis accipiendæ: ergo non patiuntur exceptiones ullas. ¶ Sunt quidem regulæ generales, non tamen in sensu absoluto, sed in accommodo, uti hæc propositio, *Cælum tegit omnia*; non enim absolute omnia tegit, quia se ipsum non tegit. Imò, cum Regulæ Juris habeant maximam amplitudinem & generalitatem, plurimas recipiunt exceptiones: cum plurimæ possint circumstantiæ circa factum emergere vel intervenire, propter quam varietatem facti & circumstantiarum variari & Jus necesse est. Unde fallitur, qui existimat se totum Jus intelligere, si noverit Regulas Juris: cum sint merissimum compendium innumeris exceptionibus, sicut circumstantiarum mutationibus ipsa causa, obnoxium.

Dico 3. Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, h. e. censentur comprehensi in Regula, quos exceptio indè non subtrahit. Est commune axioma ex *l. 12. de Judic.* sed iterum ob generalitatem suam patiens exceptionem & limitationem, nisi nempe vel similitudo, vel eadem ratio, vel correctio Juris, aut absurdum aliàs secuturum, vel aliunde perspecta mens disponentis postulet, exceptionem etiam ad casus specialiter & expressè non exceptos extendendam esse.

Dico 4. Regulæ Juris ad hanc Rubricam in *Digestis* omnino 211. (ducentæ & undecim quas Legistis inspiciendas & considerandas relinquo; *Fff 4* in

in *Decretalibus* verò extra 11. (undecim tantum) in *Sexto* autem 88. (octoginta octo) reperiuntur expressæ, quas Lectori, qui non semper ad manum habet Corpus Juris, legendas hinc ob oculos pono iisdem verbis & ordine, quibus in Corpore Juris Canonici sunt descriptæ.

REGULÆ JURIS.

Prout reperiuntur in fine V. Decretalium Gregorii IX.

1. *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*
2. *Facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.*
3. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.*
4. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*
5. *Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.*
6. *In ipso causæ initio non est à questionibus inchoandum.*
7. *Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur.*
8. *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debet, facit, & ideo jam non facit.*
9. *Offendens in uno factus est omnium reus.*
10. *Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*

11. *Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

REGULÆ JURIS.

Prout sunt in Sexto Decretal. Bonifacii VIII.

1. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri.*
2. *Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit.*
3. *Sine possessione præscriptio non procedit.*
4. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*
5. *Peccati venia non datur nisi correcto.*
6. *Nemo potest ad impossibile obligari.*
7. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*
8. *Semel malus semper præsumitur esse malus.*
9. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*
10. *Ratihabitionem retrahere, & mandato non non est dubium comparari.*
11. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*
12. *In Judiciis non est acceptio personarum habenda.*
13. *Ignorantia Facti, non Juris, excusat.*
14. *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiam causam censetur habere.*
15. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*
16. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*
17. *Indultum à Jure beneficium non est alicui auferendum.*

18. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.*
19. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*
20. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.*
21. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*
22. *Non debet aliquis alterius odio prægriuari.*
23. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*
24. *Quod quis mandatò facit Judicis, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse.*
25. *Mora sua cuilibet est nociva.*
26. *Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*
27. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.*
28. *Quæ à Jure communi exorbitant, nequam ad consequentiam sunt trahenda.*
29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*
30. *In obscuris minimum est sequendum.*
31. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*
32. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.*
33. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*
34. *Generi per speciem derogatur.*
35. *Plus semper in se continet, quod est minus.*
36. *Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.*
37. *Utile non debet per inutile vitiari.*

38. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*
39. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.*
40. *Pluralis locutio duorum numerò est contenta.*
41. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*
42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*
43. *Qui tacet, consentire videtur.*
44. *Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.*
45. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*
46. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quò ille, uti debebit.*
47. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*
48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria aut jactura.*
49. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*
50. *Actus Legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.*
51. *Semel DEO dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.*
52. *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.*
53. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.*
54. *Qui prior est tempore, potior est jure.*
55. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra.*
56. *In re communi potior est conditio prohibentis.*
57. *Con-*

57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*
58. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.*
59. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.*
60. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.*
61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*
62. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit obligatur.*
63. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.*
64. *Quae contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*
65. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.*
66. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*
67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.*
68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*
69. *In malis promissis fidem non expedit observari.*
70. *In alternativis electoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.*
71. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.*
72. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.
74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.
75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.
76. Delictum persona non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.
77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.
78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.
80. In toto partem non est dubium contineri.
81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.
82. Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.
83. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.
84. Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.
85. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.
86. Damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis, imputare.
87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.
88. Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

Atque

Atque hæc omnia cedant imprimis ad laudem
Primæ Regule omnis honestatis, dein verò ad
regulandos Legentium mores secundùm mentem
SS. Canonum. Si bene hucusque scripsi, non
aliam peto mercedem, quàm Deum ter Opti-
mum Maximum, cujus majorem honorem, &
discentium utilitatem, cupio indè promoveri
quàm maximè: si malè, & erroris aliquid, quod
humanum est, hinc indè irrepsit, veniam precor,
& omnia Apostolicæ Sedi, veritatis magistræ,
corrigenda demissè submitto, pro qua tuenda
non calamum modò, sed & vires omnes
ac vitam ipsam devovi jam
pridem.

